



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XVI. De occulta compensatione famularum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

aliquando habere poterit, talis non intendit facere, quod alius nomine suo sit hæres; sed ex sua duntaxat parte impedimentum aufert, quod aliquando posset esse, ne alius sit hæres, & permittit alium esse hæredem, si ei aliunde hæreditas competat, ad hoc autem præstandum non est necessaria delatio ipsius hæreditatis, cum hoc non sit aliud,

quàm se obligare sub conditione ad non acceptandum talem hæreditatem, si aliquando delata fuerit.

Ex istis omnibus denique ultimam nostram solutionem⁴⁷ subjungimus, dicendo, hæreditatem præsentem à fratre professi, aut ab ipso renuntiatario, nulli ex istis, sed ipsi monasterio addicendam.



Casus XVI.

De occulta compensatione famularum.

Euphemia ancilla etiamsi illius labores aliarum ancillarum solertiam non excederent, putat tamen se minus tenue stipendium accipere, eò quòd videret alias famulas pro similibus laboribus passim majus stipendium recipere; quia tamen operam suam pro hoc salario suæ dominæ addixit, ne minus aliis acquireret, furtis minutis successivè tantum subtrahit, ut gravem summam surrepta constituent, & mercedem cæterarum adæquent.

Quær. Num malè egerit, & ad restitutionem teneatur?

Synopsis.

§. I.

Quædam prænotanda.

1. Salarium instar rerum pretii est triplex.
2. Salarium Euphemie non est certò injustum, neque majus promissum,

3. Ob

3. Ob solas rationes probabiles nemo est à sua possessione deturbandus.

§. II.

Resolvitur propositum
quæsitum.

4. Euphemia in hoc puncto peccare graviter.
5. Nec excusatur, quòd salari-um assignatum videatur non esse æquale labori.
6. Nec quòd aliis ancillis assignetur majus.
7. Nec quòd aliæ ancillæ majus salarium ob suos labores exigent.
8. Eò quòd teneatur stare inito cum domina contractu.
9. Nec excusat subtractio per furta minuta sine animo ditescendi facta.
10. Nec ex eo, quòd à sua domina ametur, præsumi hæc potest non esse graviter invita.
11. Nec ex eo, quòd singula minuta furta statim in obvias necessitates sint expensa.
12. 13. Quandonam salarium

certò ac evidenter injustum sit habendum?

14. Quid famulis liceat, quibus ob temporum difficultatem victus minuitur?

15. Ex his omnibus deducitur Euphemiam ad restitutionem ablatorum obligatam esse.

§. I.

Quædam prænotanda.

Not. 1. Salarium instar pretii rerum esse triplex, summum, medium, atque infimum.

Not. 2. Salarium Euphemie non esse certò & evidenter injustum atque iniquum, neque aliud majus eidem promissum esse, neque ex alia quadam ratione illi deberi.

Not. 3. Ex principiis de licentia occultæ compensationis esse manifestè injustum aliquem à possessione suorum bonorum deturbare ob solas rationes probabiles, & multò magis, si istæ sint tantùm dubiæ. Hinc Pater Sanchez *lib. 1. summa cap. 10. n. 9. & lib. 6. sum. c. 3. n. 7. & 29. & lib. 2. de matrim. disp. 44. n. 3. ubi sic*

sic ait: *Ut possim alium sua possessione spoliare, oportet me certum esse, rem non esse suam.* Sanchezio consentiunt universi Doctores, qui ad licitam compensationem, petunt certitudinem in utente illa; hoc ipsum principium supponit Suarez *lib. 5. de LL. cap. 18. n. 20.* Vasquez *opuscul. de Restit. c. 6. §. 3. n. 83.* ubi hæc leguntur: *in hoc æqualitas justitiæ consistit, quod quamdiu non constat evidenter, aut per sententiam judicis, possessor sibi rem retineat.* His assentitur Lessius *de justit. lib. 2. cap. 12. n. 58. & cap. 14. n. 25.* ibi: *Si quis percipiat rem ab eo, qui bona fide possidebat, neque moraliter certus sit, suam esse, non possessionem retinere, sed totam debere restituere, quia in dubio possessio illi favet, ita ut nisi moraliter certum sit ejus non esse, non possit eam spoliari, & ita in omnibus tribunalibus apud omnes gentes judicatur.* Id ipsum sentit Molina *Tom. 3. de justit. disp. 6. c. 91.* ubi ad justam compensationem his verbis pro prima conditione requirit, *ut debitum, quod quis ita compensat, sit liquidum, ac certum omnino; in dubio enim, etiam probabili, ne aliquid aliud debeat, nefas est ei occul-*

tam accipere compensationem. His præmissis ad propositum quaesitum,

§. II.

Resolvitur propositum quaesitum.

Dico Euphemiam in hoc 4 puncto peccare. Probatum conclusio 1. ex damnatione inter 65. propositionis trigessimæ septimæ. *Famuli & famula domestica possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam judicant majorem salariò, quod recipiunt.* Hæc propositio juxta Patrem Cardenas tanquam scandalosa, & inducens famulos ad plurima furta meritò damnata fuit. Prob. 2. Ratione: nisi Euphemie certò & evidenter debeatur excessus ille salarii absque injuria non potest sibi facere compensationem, spoliando dominam excessu, quem illa possidet; atqui Euphemie non debetur certò ac evidenter ille excessus: ergo hunc non poterit sibi compensare spoliando illo dominam.

Minor constat partim ex casu ipso; ponitur enim dari eidem Sa-

4
 salarium, quod non certò & evidenter est iniquum: item quòd eidem nullum aliud sit promissum, insuper quòd ex nulla alia ratione ipsi certò debeatur, eò quòd fundamenta, quæ Euphemia pro se affert, sint nullius momenti, quod ex earum solutione postmodum afferenda constabit: ergo excessus salarii Euphemix nequaquam certò aut evidenter debetur. Ipsa etiam major nostræ probationis sufficienter probata est in notando quarto, ubi ostendimus non esse licitum, possessorem sua re spoliare, quando jus ad illam volenti spoliare non est certum atque evidens.

Prob. Eadem conclusio 3. domina certum jus ad eum excessum retinendum habet: ergo illum non debet probabiliter ancillæ prob. antec. Domina habet certam illius excessus possessionem, sed habens certam possessionem, habet certum jus retinendi, etiamsi alius habeat jus probabile, aut dubium ad illam, ergo domina habet certum jus retinendi illum excessum, probatur etiam prioris enthymematis consequentia: impli-

cat, aliquem habere certum jus retinendi aliquid, & simul debere hoc probabiliter alteri: ergo si domina habet certum jus retinendi excessum, hunc non debet probabiliter alteri. Subsumo; sed si domina certum jus retinendi excessum habet, ancilla non potest sibi eundem occulta compensatione arripere.

Confirmatur: Etiam si transmittamus, quòd Euphemia probabile jus ad illum excessum habeat, nequaquam tamen probabile est, quòd domina eundem retinendo suæ ancillæ injuriam quandam inferat: ergo probabile nequam est, quòd eum excessum ancillæ debeat, ergo neque probabile est, quòd ancilla possit eam surripere. Prob. antec. non est probabile, quòd irroget alteri injuriam, qui alteri non dat, sed retinet aliquid, ad quod retinendum habet jus certum, sed domina habet jus certum ad retinendum excessum: ergo non est probabile, quòd hunc non dans ancillæ, sed retinens, ancillæ injuriam inferat. Prob. min. Domina habet legitimam illius excessus possessionem: ergo habet jus

certum retinendi excessum. Probat. conseq. legitima possessio est jus certum retinendi, ergo habet domina jus istud certò; sed habens jus certum ad aliquid, retinendo istud, & non extrahendo alteri probabiliter nullam per hoc alteri injuriam irrogat: ergo Euphemia subtrahendo excessum violat jus certum ipsius dominæ, & hæc denegando illum probabiliter ancillæ nullam irrogat injuriam.

Confirm. 2. Etsi ponamus, quòd ancilla habeat jus probabile ad illum excessum, ipsa tamen domina ad minimum etiam habet jus probabile ad illum: ergo cum stante utriusque probabilitate domina insuper in possessione illius excessus existat, ipsius dominæ jus est præferendum juri probabili ancillæ, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Probatour nostra conclusio ulterius ex eo: Nemo in propria causa potest esse iudex competens: ergo etiamsi Euphemie salarium videatur evidenter injustum & sibi per hoc fieri injuriam, non tamen poterit illa inconsultis aliis illius defectus

compensationem sibi facere, cum esset hac ratione iudex in propria causa, unde bene advertit P. Cardenas *dissert. 23. cap. 2. art. 3. n. 59.* opinionem, quæ docet, licere famulis facere eam compensationem propter injuriam, quæ illorum iudicio est evidens, subjacere damnationi propositionis trigessimæ septimæ inter damnatas superius allatæ, & quidem ex hoc fundamento, quia damnatio eò tendit, ut, quia philautia decipit hominem, & credere facit evidens, quod vix est probabile, ut, innuit, hæc ratio justitiæ non committatur iudicio ipsius famuli.

Imò ad iudicium in hoc puncto ferendum citatus Author requirit confessarium in hoc puncto doctum, & in re morali nimis versatum, ut ipse loquitur, eò quòd sit res non parùm difficilis ferre iudicium de adæquatione mercedis ad operam, & laborem, præcipuè ubi initum est pactum de tanta quantitate pretii, in quo multæ circumstantiæ sint considerandæ. Ità ille: ergo Euphemia ancilla nullo jure sibi licitè salarium auget, quod vel maximè subsistit, si rationes

an-

ancillæ nullius sint momenti ,
quod modò videbimus.

5 Primò itaque ancilla ità pro
se argumentatur : cuilibet an-
cillæ debetur salarium justum ;
atqui assignatum salarium non
est justum : ergo cùm ipsa sine
magno suo incommodo justum
à domina nequeat obtinere , per
occultam compensationem ,
quod deest , poterit accipere :
Prob. min. mercedis justitia est
desumenda ex æquitate merce-
dis , atque laboris ; hæc autem
æqualitas statuitur judiciò pru-
dentum , uti etiam usu : ergo
cùm Euphemia ancilla videat ,
judiciò prudentum , atque usu
majorem suâ mercedem consti-
tuiti horumque occupationibus
commensurari , aliis ancillis ne-
quaquam majorem , quàm ipsa
habeat , laborem subeuntibus ,
etiam ipsa judicare poterit , sibi
quoque majorem mercedem es-
se debitam.

6 Respondetur : concessa majo-
re negando minorem , in proba-
tione concessio antec. dist. con-
seq. ergo ancilla poterit majo-
rem sibi constituere , quia alii
suis ancillis æqualiter & non ma-
gis , quàm Euphemia occupatis

constituunt majorem merce-
dem , tanquam infimam con-
cedo : si hanc majorem consti-
tuant tanquam mercedem sum-
mam , vel mediam tantummo-
do ; negatur conseq. sicut in
mercibus triplex est pretium ,
medium , summum , & infimum ,
quorum tamen quodlibet est ju-
stum , ità etiam merces famula-
rum est triplex , quarum quævis
adhuc est justa ; consequenter si-
cut vendens pretio infimo mer-
cem , non potest hunc contra-
ctum rescindere , ex eo , quòd
alii majore , summo scilicet , aut
medio pretio illam vendiderint ,
ità nec ancilla vendens sua obse-
quia pretio infimo , non poterit
hunc à se in initum contractum re-
scindere , atque sibi arrogare
mercedem mediam , aut sum-
mam , quin suæ dominæ infe-
rat injuriam : cùm justam adhuc
mercedem recipiat. Dein em-
ptor solvens pretium infimum
mercis , in quo convenit cum
venditore , nullam huic injuri-
am infert : ergo etiam domina
emens , seu conducens operam
suæ ancillæ salario infimo , hoc
eidem persolvens , nullam inju-
riam suæ ancillæ inferet , licet

aliæ dominæ ex conventionem facta majorem mercedem suis ancillis æqualiter occupatis persolvant. Item sicut hoc, quod alii petant, & accipiant pro suis mercibus pretium summum, non facit, quòd pretium infimum sit injustum; ità neque hoc, quòd aliæ dominæ solvant suis ancillis mercedem summam, faciunt & injustam mercedem infimam ab aliis dominabus ex conventionem constitutam.

7 Secundum argumentum ancillæ ità formatur: domina deberet alteri ancillæ non servienti pro hac, sed majore quadam mercede, persolvere majorem mercedem: ergo Euphemia ancilla non videtur peccare, quando suæ dominæ subtrahit illud augmentum, quòd alii ancillæ esset persolvendum, sibi autem hic & nunc denegatur, & subtrahitur. Prob. consequ. per hoc domina nullum damnum in suis bonis patitur: ergo &c.

8 Resp. 1. Retorquendo argumentum in venditione, aut emptione rei infimò pretiò emptæ, aut venditæ, sequeretur enim nullam injuriam illatum iri ab emptore venditori, qui rem

summò pretiò eidem vendiderat, quam aliis minore pretiò ille, aut alius mercator vendidisset, quando iste excessus summi supra infimum pretium clandestinè mercatori surriperetur, prout igitur talis emens contractu à se inito stare debet, ità ancilla mercede infima, qua se contentam fore semel condixerat, contenta esse debet.

Tertium fundamentum est: subtractio ista fit per furta minuta sine animo ditescendi: ergo non coalescent in unum.

Confir. Si fiunt per furta minuta & non coalescentia, tunc nullum peccatum grave unquã fuit commissum: ergo ancilla non peccabit graviter. Resp. negando, quòd istæ subtractiones non fiant cum animo ditescendi, aut surripiendi magnam summam, positò, quòd excessus summi aut medii salarii supra infimum promissum magnus sit, & ancilla habeat animum obtinendi istum: cum enim furta, quantumcunque minuta ordinata ad summam totalem de se gravem jam fiant cum animo per illa ditescendi, habent illa sufficientem unionem moralem,

ut

ut in unam coalescant gravem summam mortaliter peccaminosam.

10 Quartò, ità argumentatur. Euphemia advertit, se à sua domina amari, & tanquam valde industriam laudari, commendari præterea à sua fidelitate: ergo potest probabiliter præsumere, dominam non fore graviter invitam.

Resp. præsumptionem istam videri frivolam, atque insufficientem, si enim ob hunc suæ dominæ in se affectum nec non industriam & fidelitatem iudicat, dominam non ægrè laturam hanc tacitam compensationem, cur non tentat majorem mercedem exigere? de minimo conqueritur, aut oblata sibi condonari expetit? si reponat ancilla, timere se indignationem suæ dominæ, incursum, præterea infidelitatis notam, si clanculum ablatorum condonationem expetat, aut dominam augmentum tanquam quid indebitum negaturam: contrà est, ex his constat, malè præsumi ab ancilla, dominam non fore invitam, cum allata sufficienter probent, quòd domina suum jus

ad retinendum excessum retinere velit, existimare etiam sibi ab ancilla injuriam esse factam, insuper ægrè ferre, quòd famula proprio suo arbitrio conditum salarium sibi augeat, cum ergo hæc omnia rationabiliter ipsa domina faciat, eò quòd ancilla, quæ iisdem opponat, non habeat, non est fundamentum sufficiens, ex quo ob suam hanc industriam, fidelitatem, & magnum suæ dominæ erga se affectum prudenter iudicet, suam dominam in compensationem istam sibi tacitè factam, lubenti animo consentire.

Quintò, ità argumentatur: 11 Euphemia singula minuta furta statim in obvias necessitates sublevandas impendit: ergo illa non commisit animo ditescendi, seu magnam quandam summam comparandi.

Resp. cum habuerit intentionem subtrahendi, & auferendi suæ dominæ summam, quæ suum salarium æquale aliarum famularum mercedi redderet, si accepta minutim statim expendit, animum quidem non habuit ditescendi, bene autem damnificandi graviter suam do-

minam, ergo ex titulo injustæ acceptionis, quæ ponitur esse gravis, gravis delicti erit rea.

¹² Caterùm, cum juxta hæcenus dicta compensationi videatur esse locus, si salarium evidenter sit injustum, ulteriùs promovebitur quæstio, quando nam salarium ob suam tenuitatem evidenter injustum, haberi debeat?

P. Ludovicus Molina *Tom. 2. de justit. tract. 2. de contractibus. disp. 5. ob.* & P. Cardenas locò superiùs citatò *quæst. 65.* varias ponunt circumstantias, quæ justitiam vel injustitiam stipendii produnt. Primò enim juxta, superiùs dicta, sicut in mercibus triplex est pretium, ità etiam in stipendiis summum, medium, & infimum dantur, mensura autem ista sumi consuevit tum ex lege, tum ex consuetudine, quod scilicet frequentius contingit; evidenter itaque injustum stipendium erit, si minùs infimo deprehendatur esse. Secundò advertunt, justum stipendium neutiquam commensurandum esse integræ ipsius famulæ sustentationi, aut etiam totius ipsius familiæ, sed com-

parandum solummodo esse cum valore sui laboris, & impensa opera. Tertiò potest stipendium, quod famulæ videtur tenuè, esse justum, quando spectatis circumstantiis alii reperiuntur, qui pro hoc salario eandem operam præstarent. Quartò, si famula ipsa offerat sua obsequia, dominam pro suo famulatu rogans: ultro enim oblata obsequia vilescunt non minùs, ac ipsæ merces ultro oblatae vilescunt.

Quòd si autem famula cogatur ¹³ invita pro minori pretio servire, quod non attingat infimum, vel juxta aliorum opinionem etiam medium, tunc videtur famulæ manifesta injuria inferri; quod idem contingit, si domina famulæ solvat stipendium non in ære, sed in aliis rebus, quibus famula non indiget, vel quæ ipsi nulli usui sunt, aut quas cogatur vendere pretiò, mercedem infimam aut promissam nequaquam adæquante, quòd si autem in ipsa conventionem partem justii stipendii suæ dominæ condonet famula, de nulla injuria sibi illata conqueri poterit.

Ex hæcenus dictis etiam erui ¹⁴

po-

poterit, quidnam reponendum sit illis famulis, qui instante difficultate temporum, nec non annonæ charitate conqueruntur sibi victum imminui, vel panem extra tempora mensæ recludi, & hinc scire volunt, utrùm non sibi liceat quædam subtrahere, quibus priorem commoditatem compensent? respondendum scilicet illis erit, licet iidem modò, non tam commodò, ut olim vivant, si tamen illis tribuatur victus his temporibus conveniens, quo sustentandis viribus, & laboribus ferendis non notabiliter impares redduntur, eosdem, contentos esse debere, neque ullum ipsis jus competere, ut quid plus exigant, ex quo ulterius deducitur, eosdem non posse ex hoc titulo aliquid sibi usurpare, aut surripere; naturali enim æquitati repugnat, ut famuli in eadem semper commoditate vivant, soli autem heri temporum difficultatem sentiant, nequaquam enim famulari statui ea prærogativa competit, ut semper eadem fortunâ & commoditate fruantur; quòd si ergo iniquitas temporum dominos cogat, ut ipsi parcius vi-

vant, etiamsi consuetis suis officiis fungi debeant, non agrè ferre famuli debent, si etiam ipsi consuetis suis muneribus occupentur parcius tamen vivere cogantur, cum igitur heri ob ipsum esculentorum & poculentorum occultationem se invitos, ut talia his temporibus surripiantur à famulis ostendant, clarè apparet, famulis non licere in talibus circumstantiis tam multa esculenta & poculenta sibi usurpare absque omni noxa, quàm multa felicioribus temporibus sibi attribuere posse prudenter judicârunt.

Stabilita hoc modo prima¹⁵ parte quæsitæ, facilis erit resolutio alterius, utrùm scilicet Euphemia ad ullam restitutionem suæ dominæ faciendam sit obligata: respondemus enim affirmativè; cum ex radice injustæ acceptionis, aut ex radice rei acceptæ, aut ex utroque simul forsitan obligetur occultam sibi compensationem faciendo in iis circumstantiis, in quibus nullum ad res sublatas jus habere poterat.

Ca-